tione. Sed segmentū circuli quod orthogonū suscipit triangulum, semicirculus est, cuius b c basis dimetiens fuerit. Quibus igitur b c partibus fuerit 2000000. dabuntur a b & a c, tanquam subtendentes reliquos angulos b c. Quos idcirco ratio Canonis patefaciet in partibus, quibus ccclx sunt duobus rectis æquales. Idem eueniet, si b c fuerit datum cum altero rectum angulum comprehendentium, quod iam liquide constare arbitror.

IIII.



Sit iam datus, qui sub a b c angulus acutus, datis etiam comprehensus lateribus a b & b c, & ex a signo descendat perpendicularis ad b c productam si oportuerit, prout intra uel extra triangulum cadat, quæ sit a d, per quam discernuntur duo orthogonij a b d & a d c, & q̃m in a b d dantur anguli, nam d rectus & b per hypothesim. Dantur ergo a d & b d tanquam subtendentes angulos a & b in partibus, quibus a b est 2000000. dimetiens circuli per canonem. Et eadem ratione qua a b dabatur longitudine, dantur a d & b d similiter, datur etiam c d, qua b c & b d se inuicem excedunt. Igitur & in triangulo rectangulo a d c datis lateribus a d & c d, datur latus quæsitum a c & angulus a c d per præcedentem demonstrationem.

V.



Nec aliter eueniet, si b angulus fuerit obtusus, quoniam ex a signo in b c extensam rectam lineam perpendicularis acta a d, efficit triangulum a b d datorum angulorum. Nam a b d angulus exterior ipsi a b c datur, & d rectus. dantur ergo b d & a d in partibus, quibus a b fuerit 2000000. Et quoniam b a & b c rationem habent inuicem datam, datur ergo & a b earundem partium, quibus b d ac tota c b d. Idcirco & in triangulo rectangulo a d c, cum data sint duo latera a d & c d, datur etiam a c quæsitum, & angulus b a c cum reliquo a c b, qui quærebatur.

VI.

Sit iam alterutrum datorum laterum subtendens angulum